

DISSERTATIO  
JURIDICO - INAUGURALIS  
DE  
DENUNCIATIONE,  
DOMINO  
IN  
ALIENATIONE EMPHY-  
TEUSEOS FACIENDA.

QUAM  
AUXILIANTE DIVINO NUMINE  
EX CONSENSU INCLYTÆ FACULTATIS  
JURIDICÆ

In Alma & Antiquissima Palatino - Electorali  
Univerſitate Heidelbergensi,

PRÆSIDE

FRANCISCO ALEF,  
PRO LICENTIA

SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES ET  
PRIVILEGIA DOCTORALIA RITE CONSEQUENDI  
PUBLICÆ JURIS-CONSULTORUM CONCERTATIONI  
EXPONIT

FRIDERICUS LUDOVICUS WEBER,  
Mannheimensis.

Ad diem Februarii MDCCLIX.  
Horis, Locoque consuētis.

---

Typis Joannis Jacobi Hæner, Typographi Aulico-Academici.

DEO,  
PATRIÆ,  
ET  
PATRONIS.

Johannes Jacobus Heer, Typographus Academiæ.



DISSERTATIO  
JURIDICO-INAUGURALIS  
DE  
DENUNCIATIONE, DOMINO  
IN ALIENATIONE EMPHY-  
TEUSEOS, FACIENDA.

PROLOGUS.

§. I.

**Q**uemvis rerum suarum liberum esse moderatorem, & arbitrum, ex *leg. 21. Cod. mand.* satis discimus. Neque id tantum in rebus (quas vocant) *Corporalibus* obtinet; sed & in iis, quas *incorporales* dicimus, locum habet: ut ex *tot. tit. ff. de heredit. vel act. vendit.* abunde colligitur.

A

2. Quan-

2. Quantum verò cunque hæc pateat Regula; plures tamen habet limites. Paucos eorum ostendamus. Nequit alienari extraneo jus *primogenituræ*, nequit *majoratus*: quia, quod pro conservandâ familiâ est inventum, unico quasi ictu ejusmodi perimeret licentia. Unde etiam est, cur, recusante primo, proximis jus natum dicatur. Nequit alienari jus usûs; cum non omnium eadem sit frugalitas. Nequit pro lubitu feudum, quia ad VASALLI respicitur fidelitatem; ut Domino (quem ajunt) DIRECTO amplissima sit perpetuaque dissentiendi facultas.

3. An, quisve limes emphyteusi alienandæ sit positus, pertinax fuit ante hæc, & adhuc est pugna; quæ etiam in nostrum irrepsit collegium, ibique (quoties ejusmodi lites illuc deferuntur) etiamnum divellit suffragia: ut vel eam ob causam severiore discussione non indigna sit hæc controversia.

4. Omnibus in eo convenit, permissam esse juris emphyteutici (meliorationum saltèm) venditionem: dummodo tempestivè satis certior de illâ fiat Dominus, huicque emptionis offeratur prærogativa; ut, si velit, eadem intrâ tempus bimestre (non ultra) utatur. Sic enim  
difer-

disertè statuit *lex 3. Cod. de jur. Emphyt.* Sic jubet *Cap. 4. X. de locat & Cond.*

5. Denunciatio verò isthæc quandonam sit facienda, non eadem omnium est sententia. Sunt, qui illam ante venditionis perfectionem putant necessariam: sunt contra, quibus satis est, si consummationem ejus antecesserit: sunt tandem, qui contendunt, plus non requiri, quàm ut Domini antevertat querela. „ Tempus (ita scribit „ LEYSERUS in *medit. ad ff. Specim. 105. medit. I.*) requirendi in alienatione emphyteusos consensum Domini jura nostra certò non determinant. Equidem verba, quæ in *leg. 3. Cod. de jur. emphyt.* occurrunt: *expectare consensum: minimè licere sinè consensu Domini Vendere: prædicere, quantum pretium ab alio recipi potest; & vox primitus*, quæ in *cap. 4. X. de locat. Conduct.* reperitur, necessitatem requirendi consensum, antequàm contractus cum alio perficiatur, involvere videntur. Amitti ergo confestim videtur Emphyteusis alienatione sinè consensu Domini factâ. Verùm enim verò quum emphyteusis alienata ipso jure non amittatur; sed necesse sit, ut declaratio Domini antecedat: . . . consequitur, consensum Domini, *quam-*

„ *diu is questus non est*, adhuc requiri posse. Confir-  
 „ mat hanc sententiam nostram *Capit. 4. x. de locat.*  
 „ *Conduct.* quippe quod emphyteutæ, pœnâ ca-  
 „ ducitatis vel *alienando*, vel *cessando in solutione*  
 „ *canonis*, comméritâ, celeri satisfactione sibi  
 „ consulere permittit. Celerem autem satisfactio-  
 „ nem interpretes vocant, quæ, antequàm Do-  
 „ minus conqueritur, fit. „

6. Singularem hanc LEYSERI Doctrinam (ut  
 ut quoad pleraquæ à vero aberret) indiscussam  
 relinquimus; quia à scopo, in quem tendimus,  
 est aliena. Illud tantùm ex eâ nostrum facimus,  
 impunem esse emphyteuseos venditionem, dum-  
 modò ante consummationem Domino satis sit  
 denunciata. Et hæc hodie dùm vix non est una-  
 nimis, inque tribunalibus recepta sententia; ut  
 eam in rem Interpretum amplissima facilè possit  
 conglobari copia.

7. Quid nî verò in illo consentiant omnes?  
 Sic enim in *eâdem leg. final. Cod. de jure Emphyt.*  
 jubet Imperator. „ Sin autem (ita ibidem sensa  
 „ sua exprimit) *novum emphyteutam, vel emp-*  
 „ *torem meliorationum*, suscipere minimè Do-  
 „ minus maluerit; & attestazione factâ, intrâ duos  
 „ menses hoc facere supersederit, *licere Emphy-*  
 „ *teutæ,*

„ teuta, etiam non consentientibus Dominis, ad  
 „ alios suum jus, vel emponemata transferre. „ Ha-  
 bes hinc novum emphyteutam, antequam bime-  
 stre abierit tempus, quod Domino prerogativæ  
 causâ est datum: habes illum, priusquam jus  
 Emphyteuticum in eundem est translatum: ha-  
 bes igitur venditionem (sinè hoc contractu enim  
 novus Emphyteuta in dato exemplo nec esse,  
 nec dici potest) præcedere denunciationem,  
 Domino faciendam. Porro venditio (quamdiù  
 rei venditæ non accedit traditio) dici nequit alie-  
 natio: cum (ut ait ULPIANUS in *leg. 67. prin-  
 cip. ff. de verb. signif.*) alienatum non videatur,  
 quod adhuc in bonis venditoris manet. Est alie-  
 natio (quemadmodum loquuntur Imperatores  
 SEVERUS & ANTONINUS in *leg. 1. Cod. de  
 fund. dot.*) actus, per quem dominium trans-  
 fertur. Nequit proinde dici, quòd, si prohibi-  
 ta sit alienatio, nuda etiam venditio prohibita  
 debeat censerì. Versamur (quod omnes faten-  
 tur) in explicandâ lege pœnali: quia agitur de  
 emphyteusi amittendâ. Hæc igitur interpreta-  
 tio (ut concors omnium habet sententia) per-  
 quam benigna sit, necesse est: ne certa statua-  
 tur pœna, ubi culpa est incerta. Reflexo (quod  
 ajunt)

ajunt) utamur argumento. Qui communem sequitur sententiam, non peccat: minimè igitur offendit, qui amplectitur vix non unanimum (quam diximus) omnium doctrinam.

8. Ita in venditione. Nunc, quid in aliâ quavis alienationis specie sit observandum emphyteutæ, dispiciamus. Notissimum est, quanto-perè hac in re dissideant interpretes: fontem igitur, ex quo celebres promanârunt rixæ, adire oportet; ut, quid bene, quid-ve malè, inde derivetur, tutò liceat dijudicare.

9. „ Cùm dubitabatur ( ita rescribit Imperator JUSTINIANUS JULIANO PRÆF. PRÆT. in leg. 3. Cod. de jure Emphyt. ) utrum emphyteuta debeat cum Domini voluntate suas meliorationes ( quæ græco vocabulo *επιποιματα* dicuntur ) alienare, vel jus Emphyteuticum in alium transferre: an ejus expectare ( oporteat ) consensum; sanximus; si quidem emphyteuticum Instrumentum super hoc casu aliquas pactiones habeat, eas observari. Sin autem nullo modo hujusmodi pactio interposita sit, vel fortè Instrumentum emphyteuseos deperditum sit; minimè licere emphyteutæ sinè consensu Domini meliorationes suas aliis vendere vel jus  
 „ Em-



„ *Emphyteuticum transferre.* Sed, ne hâc oc-  
 „ casione acceptâ, Domini minimè concedant  
 „ emphyteutas suos accipere pretia melioratio-  
 „ num, quæ invenerunt; sed eos deludant, &  
 „ ex hoc commodum emphyteutæ deperat:  
 „ disponimus, attestationem Domino transmitti,  
 „ & prædicere, quantum pretium reverâ ab alio  
 „ accipi potest. Et siquidem Dominus hoc da-  
 „ re maluerit, & tantam præstare quantitatem,  
 „ quantam ipse reverâ emphyteuta ab alio acci-  
 „ pere potest; ipsum Dominum omnimodo hâc  
 „ comparare. Sin autem duorum mensium spa-  
 „ tium fuerit emensum, & Dominus hoc facere  
 „ noluerit; licentia emphyteutæ datur, ubi  
 „ voluerit, & sinè consensu Domini *melioratio-  
 „ nes suas vendere:* iis tamen personis, quæ non  
 „ solent in emphyteuticis contractibus vetari,  
 „ ad hujusmodi venire *emptionem.* Necessitatem  
 „ autem habere Dominos, si aliis melioratio  
 „ secundum præfatum modum *vendita* sit, acci-  
 „ pere emphyteutam: *vel si jus emphyteuticum  
 „ ad personas non prohibitas, sed concessas & ido-  
 „ neas ad solvendum emphyteuticum canonem trans-  
 „ ponere emphyteuta maluerit, non contradicere,  
 „ sed novum emphyteutam in possessionem suscipe-*

„ re

„ *re . . . . .* Si autem novum emphyteutam,  
 „ vel emptorem meliorationis suscipere minimè  
 „ Dominus maluerit, & attestatione factâ intra du-  
 „ os menses hoc facere supersederit; licere emphy-  
 „ teutæ, etiam non consentientibus Dominis ad  
 „ alios suum jus, vel emponemata transferre,  
 „ Sin autem aliter fuerit versatus, quàm nostra  
 „ constitutio disposuit, jure emphyteutico cadat.  
 „ 10. Habes (quem diximus) fontem. des-  
 „ cendamus ad rivulos: ad variantes nempe opi-  
 „ niones, ex lege hâc diductas.

## CAPUT PRIMUM.

*Referuntur aliorum sententiæ: no-  
tantur: castigantur.*

„ 11. **E**mphyteutam (ita ait FACHINEUS  
 „ „ *lib. 2. Controvers. cap. 97.*) consen-  
 „ su Domini non requisito, donare posse jus  
 „ emphyteuticum, quod habet, Autores sunt  
 „ multi ex antiquis Doctoribus; quos JASON  
 „ citat in *leg. 3. n. 54. Cod. de jure Emphyt.*  
 „ CLARUS in §. *Emphyteusis &c. quæst. 15.* AU-  
 „ RELIUS CORBULUS *de jure Emphyteut. cap. 14.*  
 „ *limit-*

„ *limitatione 13.* Fundamentum est; quia, cur  
 „ Domini consensus requiratur, emphyteutâ  
 „ alienare volente, illa est ratio, quod Dominus  
 „ ipse jus emphyteutæ potest emere eo pretio,  
 „ quod ab alio offertur. Hæc ratio cessat, em-  
 „ phyteutâ donare volente jus emphyteuticum;  
 „ ut patet. Contrarium responderunt BARTO-  
 „ LUS & alii multi; quos JASON, CLARUS, &  
 „ CORBULUS commemorant. Quibus & ipse  
 „ assentior, autoritate textus in *leg. 3. Cod. de*  
 „ *jur. Emphyt.* in illis verbis: *minime licere em-*  
 „ *phyteutæ, sine consensu Domini, meliorationes*  
 „ *suas aliis vendere, vel jus emphyteuticum trans-*  
 „ *ferre.* Illud verbum, *transferre*, includit eti-  
 „ am donationem: quia per eam jus emphyteu-  
 „ ticum transfertur in donatarium. Et licet (sic  
 „ pergit ibidem) in venditione ita sit constitutum,  
 „ ut attestatio Domino transmittatur, & prædi-  
 „ catur ei, quantum pretium, ab alio offeratur,  
 „ & siquidem Dominus hoc dare maluerit, &  
 „ tantam præstare quantitatem, quantam ipse re-  
 „ vera emphyteuta ab alio recipere potest, ipse  
 „ Dominus emere possit: alioquin duorum men-  
 „ sium spatio elapso, si noluerit emere, liceat  
 „ emphyteutæ vendere; ut late habetur in *dict.*

„ *leg. 3.* Tamen non hinc inferri potest, consen-  
 „ sum Domini requirendum non esse; si emphy-  
 „ teuta velit jus emphyteuticum donando trans-  
 „ ferre. Si enim vendatur jus emphyteuticum,  
 „ lex concedit Domino prælationem: Si verò  
 „ aliter in alium transferatur ob alias causas, ut  
 „ scilicet intelligat, quis novus sit emphyteuta,  
 „ & antequàm ei possessionem concedat, & eum  
 „ investiat, de re emphyteuticâ providere possit,  
 „ ut non solum laudemium, seu quinquagesima  
 „ præstetur, sed etiam annuus ipse canon em-  
 „ phyteuticus. Si hæc non fuerint servata, nul-  
 „ la est lex, nulla ratio, quæ Dominum compel-  
 „ lat ad novum emphyteutam suscipiendum ac  
 „ investiendum. Sic enim ait textus in *dict. leg.*  
 „ *3. necessitatem habere Dominos, si aliis melio-*  
 „ *ratio secundum præfatum modum vendita sit, acci-*  
 „ *pere Emphyteutam.* Ergò si non secundum præ-  
 „ fatum modum emphyteuta jus suum in alium  
 „ transferat; Dominus non tenetur suscipere  
 „ novum emphyteutam. Modus verò est, ut  
 „ Domini consensu requiratur; ut in principio  
 „ legis habetur.

12. Hactenus FACHINEUS. Sed quis non  
 videt, quantum à scopo aberret vir clarissimus?

Largi-

Largientur omnes (quis enim id diffiteatur) Domino obtrudendum non esse donatarium idoneum: largientur proinde, novum emphyteutam, ubi ferendis oneribus impar deprehentitur aut *Laudemium* solvere non vult, posse ab eodem rejici. Hoc verò quid commune habet cum nostra disceptatione? Difficultas in eo est, an sicut in venditione Domini debet explorari consensus, eidemque præ quovis alio, ut ut maximè idoneo, indulgenda est emptionis prærogativa, idem etiam in donatione aut alio quovis alienationis negotio sit necesse; ut, hoc neglecto, emphyteusi cadat & venditor & emptor. Hoc si ex leg. 3. *Cod. de jur. emphyt.* exsculperit Doctor celeberrimus; victas dabimus manus. Poterit certè & emptor (quantumvis dominus in venditionem generatim consenserit, aut tempus bimestre sinè animi declaratione abire siverit) quamdiu *Laudemium* solvendum detrectat, aut si sit *persona*: ut ait Imperator in *edd. leg. 3. Cod. de jur. emphyt.*) *prohibita*, à capessendâ emphyteuseos possessione arceri: quidnî igitur & donatarius? Sed (quod diximus) hæc in dirimendam controversiam nostram nil conferunt: ideoquò sine fructu est, id genus argutias pluribus agitare.

13. Aliter (si tamen aliter) eandem propugnat doctrinam recentissimus LEYSERUS in *medit. ad ff. specim. 105. medit. 2.* Audiamus loquentem; & expendamus dicta. „ Consensus (ita „ scribit ibidem) Domini in omnibus alienationibus requirendus est. Dissentit potissimum à nobis WISSENBACHIUS *exercit. ad ff. disput. 15. §. 38. sola*, inquit, *venditio prohibita est, non aliæ alienationis causæ. Emphyteutia igitur, venditurus emphyteusin, requirere debet consensum Domini, cui intra bimestre tempus debetur jus protimiseos, sive retractus. Legare verò, donare, permutare, in solutum dare emphyteusin, inconsulto Domino, potest. leg. 71. §. pen. & ult. ff. de legat. 1. leg. 16. §. fin. ff. pignor. act. leg. 219. ff. de verb. signif. Hæ leges non sunt correctæ: manent igitur; leg. 27. Cod. de testam. Verum enim verò clarissima sunt legis 3. Cod. de jur. Emphyt. verba; ut dubium relinquere nullum possint. Ait scilicet JUSTINIANUS *minimè lice re emphyteutæ, sinè consensu Domini meliorationes suas aliis vendere, vel jus emphyteuticum transferre.* Quæ verba; maximè si cum antecedentibus jungantur, ad omnes sinè dubio alienationes pertinent. Et ratio quoque*

„ que ejus constitutionis in promptu est. Non  
 „ debet quippè ignoranti Domino alius emphy-  
 „ teuta obtrudi. Certior igitur de eo reddi de-  
 „ bet, atque, siquid forsan contra habilitatem  
 „ ejus monendum habet, audiendus est. nequè  
 „ obsunt nobis leges à WISENBACHIO allatæ.  
 „ Illæ enim ad jus vetus pertinent, quod omnem  
 „ alienationem, & venditionem quoquè ipsam  
 „ permittebat; §. 3. *Instit. de locat. Conduct.* à  
 „ JUSTINIANO per *leg. 3. Cod. de jur. Emphyt.*  
 „ correctum. Graviùs obstat *lex 1. Cod. de fund.*  
 „ *Patrim.* quam WISENBACHIUS non vidit: ubi  
 „ emphyteutæ fiscali jus suum citra judicis auto-  
 „ ritatem donare permittitur. Sed & hæc lex per  
 „ generalem JUSTINIANI constitutionem est  
 „ sublata. Præterea JASON in *leg. ult. Cod. de*  
 „ *jure Emphyt. n. 61.* & FRANTZKIUS *de Lau-*  
 „ *dem. cap. 9. n. 65.* sententiæ nostræ opinionem  
 „ communem opponunt, & pro hâc stabiliendâ  
 „ quinquaginta quinque auctores nominant. Ve-  
 „ rum communem hunc errorem ipsi sic temperant  
 „ JASON & FRANTZKIUS *n. 136.* ut Domini con-  
 „ sensus per eam in cæteris, præter venditionem  
 „ alienationibus non penitus excludatur; sed,  
 „ ubi in possessionem inducendus est novus em-  
 „ phy-

„ phyteuta, requiratur; atque tantum necessitas,  
 „ illum ab initio contractus adhibendi, remitta-  
 „ tur. Quâ in parte ad communem istam opi-  
 „ nionem facile accedimus; WISSENBACHIO  
 „ tantum & illis contrarii, qui alienationes in-  
 „ consulto planè Domino permittunt.

14. Non debebat LEYSERUS, controversiæ  
 si perspectam habuisset indolem, ad communem  
 (quam fatetur) opinionem tam facile accedere.  
 Adeò est certum, non omnem Domini negligi  
 posse consensum, quàm est indubitatum, eidem  
 non obtrudi debere emphyteutam vel inidoneum,  
 vel potentiorum, vel (ut generatim dicitur in  
*edd. leg. 3. Cod. de jur. Ephyt.*) *personam prohibi-*  
*tam.* Hoc enim si fiat; Dominus, ut ante  
 vendendi potestatem fecerit emphyteutæ, dissen-  
 tire adhuc potest. legis nostræ repetamus verba.  
 „ Necessitatem autem habere Dominos, si aliis me-  
 „ lioratio (adverte animum) *secundum præfatum*  
 „ *modum* vendita sit, accipere emphyteutam; vel  
 „ si jus emphyteuticum (hic solerter rursus at-  
 „ tende) *ad personas non prohibitas sed concessas &*  
 „ *idoneas ad solvendum emphyteuticum canonem*  
 „ transponere emphyteuta maluerit, non con-  
 „ tradicere, sed novum emphyteutam in posses-  
 „ sionem suscipere. „

„ Idem



Idoneos igitur (quos omni exceptione majores non inceptè dixeris) ut repelli est nefa ita inidoneis aut prohibitis personis, quanquam vendendi facultatem jam sit largitus emphyteutæ, contradicere nihilominus adhuc potest Dominus.

15. Duplex in emphyteuseos venditione requirendus est à Domino consensus. primus quoad ipsam venditionis substantiam: alter quoad emptoris qualitatem. posterior in omni alienationis negotio (nullo jurisconsultorum obloquente) est necessarius. An & prior? id, exceptâ venditione pleriquè negant. Debebat itaque LEYSERUS (ut WISSENBACHIUM, & in eo cummunem sententiam feliciùs impugnaret) evincere, consensum, cujus neglectus vacuum facit emphyteusin redire ad Dominum, in quâcunque alienationis specie (quemadmodum in venditione) esse necessarium. Illud si præstiterit; Doctorum Apollo nobis erit; Nequè capimus, quo fructu asserat vir doctissimus, per *dict. leg. 3. Cod. de Fur. Emphyt.* correctâ esse veterum jurisconsultorum placita. Adeò namque correctum non est, quod, invito Domino emphyteutam inidoneum, obtrudi sit nefas, ut potius conceptis eam in rem verbis id confirmet  
memo.

memorato loco IMPERATOR. Proinde L. EY-  
SERUS (dum ideò *ad communem accedit opinionem,*  
*quia hæc non omnem excludit Domini consensum*)  
finè hoste luctari videtur.

16. HUNNIUS, Jurisconsultus non ignobilis,  
*lib. 3. var. resol. tract. 7. part. 2. quæst. 12.* majore  
contentione, aliâque ex ratione eandem propug-  
nat sententiam. „ Attendendum est (inquit)  
JUSTINIANO (in *dict. leg. 3. Cod. de jure. Em-*  
„ *phyt.*) propositum fuisse, quæstionem hanc di-  
„ rimere: utrum emphyteuta necessum habeat,  
„ cum Domini voluntate jus emphyteuticum in  
„ alium transferre? Cùm itaque quæstio gene-  
„ raliter de translatione, & non in specie de ven-  
„ ditione, sit concepta; consequens est, de aliena-  
„ tione seu translatione etiam decisionem exaudi-  
„ endam esse. Et quanquam (sic pergit) dissentien-  
„ tes respondeant, verbum *alienationis*, itemque  
„ *translationis* strictè accipi pro venditione, ut  
„ in *leg. 1. Cod. de jur. Emphyt. & §. 1. Instit. de*  
„ *locat.* & verbum *alienare*, & *transferre*, posi-  
„ tum in principio *dict. leg. fin.* ex subsequentibus  
„ declarationem accipere: quòd nempè ad trans-  
„ lationem juris emphyteutici consensus Domini  
„ non simpliciter ac præcisè, sed hætenùs desi-  
dere-

„ deretur, quòd emphyteuta Dominò futuram  
 „ mutationem, per venditionis titulum factam,  
 „ ritè denunciare debeat; ut ipse Dominus eo-  
 „ dem pretio meliorationes & jus emphyteuti-  
 „ cum emere valeat. At hoc deficit in do-  
 „ natione, quæ gratuita est. Hoc tamen ad  
 „ rem parum facit, quandoquidem divinatori-  
 „ um est, & in conjecturâ positum, quod ge-  
 „ nerale verbum *transfere*, quemvis alienatio-  
 „ nis titulum in se comprehendens, ad speciem  
 „ alienationis, nempe venditionem restringatur.  
 „ Nec sequitur: verbum *alienationis* & *translatio-*  
 „ *nis* in quibusdam locis specialiter ac strictè pro  
 „ emptione venditione accipitur; ergo eodem  
 „ modo & hìc accipitur: siquidem argumentum  
 „ procedit ex puris particularibus, ex quibus  
 „ vitiosè concluditur. Nec ad rem facit ( sic  
 „ urget ) quòd in ipso textu *dict. leg. fin.* pro  
 „ verbo *alienationis* usurpetur verbum *venditio-*  
 „ *nis*: adeoque generale verbum *alienationis* ad  
 „ speciem *venditionis* restringi videatur. Nam  
 „ verbum *venditionis* ( hìc adverte animum )  
 „ nunquàm in eâ *leg. fin.* ad jus emphyteuticum,  
 „ sed semper ad meliorationes refertur: de jure  
 „ verò emphyteutico constanter alienationis ver-  
 „ bum

„ bum usurpatur; ut ita, meâ sententiâ, Ju-  
 „ STINIANUS in *dict. leg. fin.* prohibeat (pu-  
 „ temus legendum esse: *permittat*) melioratio-  
 „ nes *vendere*; jus verò emphyteuticum *alie-*  
 „ *nare*, & *transferre*, quocunque etiam titulo  
 „ prohibeat.

„ Accedit (ita firmare conatur dicta) quod,  
 „ quotiescunque de alicujus agitur præjudicio,  
 „ toties consensus ipsius desideretur: quia nemo  
 „ alteri iniquam conditionem inferre, aut facto  
 „ suo præjudicare debet. At cùm jus emphy-  
 „ teuticum alienatur, quocunque etiam titulo  
 „ id fiat, agitur de præjudicio ipsius Domini;  
 „ siquidem interest Domini, non quemvis ha-  
 „ bere emphyteutam, sed eum, qui in re emphy-  
 „ teuticâ curandâ & colendâ diligens sit, & industri-  
 „ us, quique canonem quoque quot annis sol-  
 „ vere possit & velit. At non omnes in re-  
 „ bus etiam suis, nedum in alienis, curandis  
 „ & colendis æquè industrii sunt & diligentes;  
 „ nec etiam omnes in canone solvendo æquè  
 „ prompti. „

17. Hæ sunt viri tanti argutiæ. Sed vel in-  
 eptis Imperator; vel nugatur HUNNIUS. Re-  
 petamus utriusque verba; ut videat quivis,  
 quàm

quàm sit injuriosus in legislatorem interpres.  
 Imperatoris ( quæ audiisti ) hæc sunt: „ cum  
 dubitabatur, utrum emphyteuta debeat cum  
 „ Domini voluntate *suas meliorationes . . . . .*  
 „ *alienare, vel jus emphyteuticum transferre.* „  
 Nunquid generatim quærit JUSTINIANUS, an  
 liceat emphyteutæ *meliorationes* alienare, vel ( quæ  
 ipsi synonyma sunt ) jus emphyteuticum trans-  
 ferre? imò verò sic quærit: nullâ venditionis  
 factâ mentione. At ( inquiet fortè HUNNII  
 sectator ) ita quidem JUSTINIANUS, ubi con-  
 troversiam proponit; aliter omnino, ubi ean-  
 dem dirimit. Pergit enim ( sic dicent ) ibidem  
 Imperator, minimè licere emphyteutæ sinè con-  
 sensu Domini *meliorationes suas aliis vendere,*  
 vel *jus emphyteuticum transferre.* Ita ( agent )  
 sollicitè à *meliorationibus* discriminat *jus emphy-*  
*teuticum*; dicitque hoc *transferri*, illas *vendi.*  
 Mira subtilitas! statuitne Imperator, ad amitten-  
 dam emphyteusin solam nudamque sufficere ven-  
 ditonem? Hoc ne tu quidem ( redi ad dicta n.  
 5. 6. & 7. ) largiris. Quid igitur, venditio-  
 nem requirit, quæ sit cum *translatione* ideoque  
 cum *alienatione* conjuncta. Cæterùm adeò non  
 negat Imperator, posse jus emphyteuticum *alie-*  
*nari;*

*nari* : ut contrarium apertissimè statuat. „ Si  
 „ autem ( ita habet *dicta lex fin. Cod. de jur.*  
 „ *Emphyt.* novum emphyteutam, vel empto-  
 „ rem meliorationis suscipere minimè Dominus  
 „ maluerit; &, attestazione factà, intrà duos men-  
 „ ses hoc facere supersederit; licere emphyteu-  
 „ tæ, etiam non consentientibus Dominis, *ad alios*  
 „ *suum jus vel emponemata* ( meliorationes ) *trans-*  
 „ *ferre.* „ Certè, nisi quis naviter sit impudens,  
 fateri oportet, quod emphyteutæ liceat non *me-*  
*liorationes tantùm, sed & jus suum ad alios trans-*  
*ferre.* Ex his pronum est judicare, quàm osci-  
 tanter scripserit HUNNIUS quòd ( hæc ejus  
 sunt verba ) JUSTINIANUS *in dict. leg. fin.* per-  
 mittat quidem *meliorationes vendere, jus verò em-*  
*phyteuticum alienare & transferre, quocunque*  
*etiam titulo prohibeat.*

18. Alteram hæc HUNNII doctrina ciet dif-  
 ficultatem. Solas enim meliorationes vendere  
 ( & tantùm *vendere* ) si sit licitum; jus verò  
 emphyteuticum alienare ) quocunque id fiat  
 titulo ) sit prohibitum; consequens est, idem  
 jus ( emphyteuticum nempe ) ne vendi quidem  
 posse. Quod commentum an, præter HUNNI-  
 UM, alios hætenus invenerit, aut posthac inven-  
 turum sit patronos, meritò dubitamus. 19

19. Piget, referre plures adversantis doctrinæ propugnatores: quia, dum reliqui rem tractant frigidius; nihil fructus ex molestâ eorum coacervatione sperare licet.

## CAPUT SECUNDUM

*Proponitur communis (quæ & nostra est) sententia: stabilitur legibus: firmatur ratione: roboratur vix non unanimi Virorum doctissimorum consensu.*

20. **A**nte verò, quàm illuc pergamus, pauca quædam sunt observanda. PRIMO, in venditione emphyteuseos non tam requiri Domini consensum, quàm denunciationem tantum illi faciendam; ut (si velit) rem emphyteuticam eodem, quo vendi poterat, pretio redimere liceat: dummodò intrâ tempus bimestre hac utatur prærogativâ. Hoc enim disertissimè statuit Imperator in *ead. leg. fin. Cod. de jur. emphyt. §. I.* his verbis: *disponimus attestationem Domino transmitti, & prædicere, quantum pretium*

*tium ab alio reverà accipi potest. Et siquidem Dominus hoc dare maluerit, & tantam præstare quantitatem, quantam ipse revera emphyteuta ab alio accipere potest, ipsum Dominum omninò hoc comparare. Sin autem ( ita pergit ) duorum mensium spatium fuerit emensum, & Dominus hoc facere noluerit, licentia emphyteutæ detur, ubi voluerit, & sine consensu Domini, meliorationes suas vendere.*

21. SECUNDO, esse quidem, quoties de habilitate novi emphyteutæ justa oritur disceptatio ( sit. ne scilicet solvendo laudemio, præstando canoni, colendæque rei par ) necessarium Domini consensum. Sed per hoc nihil mutari quoad præsentem controversiam. Vide, quæ prolixius eodem de argumento scripsimus *num. 14.*

22. TERTIO, Venditionem inter, & reliquas alienationis species naturale ( proinde vel maxime notabile ) hoc esse discrimen, quòd, qui tantum vendit, non nisi justum quærat pretium; ut, à quocunque illud consequatur, ipsi sit perinde. Contra verò, qui permutat, donat, legat &c. non potest non speciali potius in hunc, quàm in illum, ferri affectu. Quem heredem



redem vocas? cui legas? cui donas? prædilecto amico. An-ne Dominus tibi semper prædilectus? sæpe infensissimus: cum aliàs eidem, non alteri donares. Quocum permutas? non nisi cum eo, qui rem habet tibi commodam. Cur permutas? ut hanc erga tuam nanciscaris. Fortè-ne semper talis Domino res suppetat? & si ita; num velit illâ carere? Adeò sanè illa sunt evidentiâ, ut à prudente nequidem in dubium vocari, minus negari, possint.

23. His ita constitutis; consequens est, ut cum communi virorum doctissimorum sententiâ dicamus, solam venditionem ( si de emphyteusi sit quæstio ) ad præviæ denunciationis legem esse adstrictam; reliquas verò alienationis species hoc onere esse immunes. Ita leges nos docent: hoc ratio evincit; idem autoritas suadet.

24. Leges tibi ( ut esse debent ) in pretio si sint; audi imperatorem in §. 3. *Instit. tit. locat. Cond.* ubi prædiorum emphyteuticorum eam dicit esse naturam, *ut, quamdiu pensio, sive redditus* ( canon dici amat ) *pro his Domino præstatur, neque ipsi conductori* ( emphyteutæ ) *neque heredi ejus, cui-ve conductor, heres-ve ejus, id præ-*

*prædium* ( hïc auscultata solerter ) *vendiderit, aut donaverit, aut dotis nomine dederit, alio-ve quocunque modo alienaverit, auferre liceat.*

25. Audi PAPINIANUM in *leg. 219. ff. de verb. signif.* „ Cùm eâ lege ( sic ait ) fundum „ vectigalem municipes locaverint, ut ad heredem ejus, qui suscepit, pertineret; jus heredum *ad legatarium* quoque transferri potest. „ Habes igitur, fundum emphyteuticum rectè legari.

26. Audi ULPIANUM in *leg. 71. ff. de legat. I.* „ Si quis ( inquit ) fundum vectigalem „ alii ( etsi non municipi ) legaverit; non videri proprietatem rei ( hæc enim Domini est ) legatam : *sed id jus, quod in vectigalibus fundis habemus.* „ En ! alterum legatæ emphyteuseos exemplum.

27. Audi CONSTANTINUM Imperatorem in *leg. 1. Cod. de fund. patrim.* „ Si quis ( ita „ habet ) fundos emphyteutici juris, salvâ lege „ fisci, citra judicis auctoritatem donaverit; *donationes firmæ sunt*; dummodò suis quibusque temporibus ea, quæ fisco pensanda sunt, repræsentare cogatur. „ Potest proinde jus emphyteuticum ( salvo eo, quod Domino præstandum ) donari.

28: Quid

28. Quid adhæc? Si cum JOANNE à SANDE  
 in *comment. de prohibit. rer. alienat. cap. 4. §. 3. n. 20.*  
 & quibusdam antiquioribus, contendas, exem-  
 pla hæc in exceptione esse ponenda; jejunos om-  
 nino es: dum Imperator in *dict. §. 3. Inst. de locat.*  
*cond.* (quem n. 23. exscriptum habes) fatetur,  
 ad regulam spectare omnia. Unde etiam inepti-  
 tiæ ANTONII MATTHÆI neminem turbent.  
 „ Fingamus (ita scribit in *tract. de auct. lib.*  
 „ *lib. 2. cap. 6. n. 20.*) emphyteutam fiscalem  
 „ jus suum alienare velle; an Dominus gaudet  
 „ jure protimiseos? distinguit MOLINÆUS  
 „ (sic ibidem pergit) utrum fiscus fundum in  
 „ perpetuam emphyteusin dederit, an concesserit  
 „ ad tempus? si perpetua emphyteusis con-  
 „ stituta sit; cessare putat protimisin: quia per-  
 „ petuâ locatione dominium transfertur in em-  
 „ phyteutam. Sin ad tempus contracta sit; sal-  
 „ vam fisco protimisin existimat: quoniam sal-  
 „ vum eidem est dominium . . . , Sed vix est  
 „ (sua jam prodit sententia) ut ea distinctio MO-  
 „ LINÆI defendi possit. Etenim si jus proti-  
 „ timisis, vel retractûs, fisco defendere velimus,  
 „ necesse est, defendamus ex *leg. 3. Cod. de jur.*  
 „ *emphy.* Ea autem, cum emphyteutæ neget  
 „ alie-

„ alienandi facultatem, ad emphyteutam fisci,  
 „ qui alienandi potestatem habet, porrigi non  
 „ potest. „ Hæ (inquam) ineptiæ neminem  
 turbent; cum olim alienandi potestas non am-  
 pliùs emphyteutæ fisci, quàm cuivis alteri patue-  
 rit; hodieque hujus non magis, quàm illius  
 sit ligata.

29. Cum LEYSERO (relege, quæ ex eodem  
 retulimus n. 13.) si dicas, veterum cum Impera-  
 torum, tum jurisconsultorum placita per *leg. fin.*  
*Cod. de jur. emphyt.* esse correctæ; id (sodes!) nos  
 doceas, quàm larga, quam -ve parca, sit isthæc  
 correctio; neque enim id inter vos satis constat.  
 Sunt, qui Domino in cæteris alienandi modis  
 (quoad venditionem enim omnibus convenit)  
 perpetuam largiuntur dissentendi facultatem:  
 sunt contrà, qui eidem plus non indulgent, quàm  
 ut intra bimestre tempus (quemadmodum in  
 venditione) rem donatam, legatam, dotis loco  
 datam, permutandam &c. justo redimat pretio;  
 hocque (puta pretium) donatario &c. solvat.  
 „ Non satis expeditum est (itâ VINNIUS in *select.*  
 „ *quæst. lib. 2. cap. 2.*) an in casu donationis  
 & permutationis, eadem quoque denunciatio,  
 quæ in venditione requiritur, intervenire debe-  
 at...

„ at . . . Non utique in hoc , ut , si emphy-  
 „ teuta rem alteri donare velit , Dominus po-  
 „ stulare possit , ut sibi donetur ; quod apertè  
 „ iniquum est : aut si permutare cum alio em-  
 „ phyteutâ cupiat , teneatur Domino offerre per-  
 „ mutandi prærogativam , quod & ipsum sinè  
 „ manifestâ injuriâ emphyteutæ constitui non  
 „ potest. Sed an emphyteuta , priusquàm do-  
 „ nat , aut permutat , Dominum certiorare de-  
 „ beat , se id facere velle , & sic etiam offerre  
 „ Domino , si velit , potestatem emendi : sive  
 „ an Dominus possit , æstimationem solvendo ,  
 „ sic etiam rem ad se revocare. „ Hunc ( in-  
 „ quam ) scrupulum nobis evellas ; ut sciamus , quâ  
 „ in parte doctrinæ tuæ rationes expugnare , sit  
 „ necesse.

30. At verò tanto labore liberatum te , imus :  
 ostendemus nempe , quoad venditionem aliquid ,  
 nihil quoad reliquos alienandi modos , in vectum  
 esse mutationis. Venditionem quod attinet ,  
 labio tantum , non re sumus varii. Tibi enim  
 quod est , *consensum Domini explorare* ; id no-  
 bis est *faciendam eidem esse denunciationem*.

31 Pugna igitur in eo solo est , an ( quod  
 diximus ) in cæteris alienandi modis sit muta-

tum quidquam : vel an adhuc , ut olim , sint emphyteutæ liberrimi. Tu , qui mutationem asseris , ejus demonstrandæ onus declinare non poteris : sed & hoc liberalissimè in nos recipimus : dummodò animum spondeas præconcep- tis opinionibus purum , & veritatis studiosum.

32. Viguerê aliquando , quas à n. 23. usque ad n. 26. recitavimus , leges : correctæ enim aliàs abs te dici non possent. Quod igitur in viridi olim fuerint observantiâ , hoc ( te non repugnante ) certum , hoc evidens est. An verò & correctio , quam jactas , æquè certa , evidens- que ? hoc si dixeris ; omnes illos , qui eandem correctionem negant : stultitiæ redarguis. Evidentia enim veritatis sanos omnes in sui agnitionem rapiat , necesse est. Quem putas , solem qui negat in meridie ? eundem putato , qui hanc correctionem ( evidens si sit ) negaverit. sentisne , quò tui vergant conatus ?

38. Est ( ita ajēs ) *probabile* saltèm correctio- nem esse factam. Demus hoc ; quid habes ? frigidum solatium. Probabile tantùm ( in phrasi scholasticâ ) quod est , patitur formidinem op- positæ veritatis. Quidquid igitur tantùm est probabile , verè est , & manet dubium. Hæc cum

cùm ita se habeant; consequens est, per hoc, quod tantùm est probabile, non vinci veritatem evidentem: ne aliàs dici sit necesse, lucem dubiam clarâ luce esse illustriorem. „ Quisquis  
 „ (ita ex omnium sententiâ JOANNES VOE-  
 „ TIUS *in comment. ad ff. tit. de legib. n. 40.*)  
 „ juris semel publicati & recepti abrogationem  
 „ allegat, ab eo, cùm id facti sit, probatio exi-  
 „ genda est. Cùm enim (elegantem hanc ad-  
 „ dit rationem) leges eâ condantur mente, ut  
 „ & perpetuò durent, & à populo observen-  
 „ tur; consequens est, ut pro earundem obli-  
 „ gatione, usûsque duratione, præsumptio mi-  
 „ litet, donec contrarium probatum fuerit. „  
 Probatione itaque opus. Sed quâ? Certè plenâ,  
 clarâ, & evidente. Probatio, ut per eam ju-  
 dici fides fiat, debet esse DILUCIDA: *leg. 14.*  
*§. ult. ff. qui, & à quibus manumiss.* debet esse  
 EVIDENS, *leg. 27. §. 1. in fin. de liber. caus.* quin  
 & EVIDENTISSIMA: *leg. 45. ff. de heredit. petit.*  
 Debet esse INDUBITATA, *leg. 1. §. 11. Cod. de*  
*latin. libert. tollen.* Debet esse LIQUIDA ac MANI-  
 FESTA: *leg. 14. Cod. de contrab. & committ. stipul.*  
 Paucis: nullus unquam dubiæ probationis est  
 sus; quod in speciali dissertatione, quam de

*probabilitate Juridicâ* meditamur, ostensuros nos, pollicemur.

34. Adhæc duplex statuitur *probabilitas*. Unam vocant *extrinsecam*: *intrinsecam* dicunt alteram. Hanc ita compellant, quia ex intimis quasi rei controversæ visceribus argumento verosimili educitur: illam, quia foris (à solâ nempe virorum doctorum auctoritate) accersitur. Ex his quænam tuo subserviat commento? non *extrinseca*; cum à nostrâ parte stent Jurisconsulti (è quorum vastissimâ copiâ infra n. 41. recensimus quosdam) doctrinâ, famâ, ac nominis celebritate vestris; si non majores, saltèm pares, numero certè plures: ut, si solâ authoritate sit dimicandum, doctrina nostra (quid nostra? communis) sinè dubio sit triumphatura. Sed, dum hoc in argumento confidentem te habemus, nolumus esse ampliores.

35. Neque proderit *intrinseca*; quod nunc evincendum. Constantissima omnium est doctrina, quod in dijudicandis controversiis non tam verba, quibus illarum proponitur status (*enunciativa* vocitari amant) quàm, quæ easdem dirimunt (*decisiva* ideò dicta) respicere oporteat; ut, si quædam hæc inter & illa appareat pugna,



pugna, posterioribus (*decisivis* nempe) sit standum. Et regula hæc rationem habet evidentissimam: dum verba, quatenus voluntatem legislatoris nobis declarant, atque ita legem constituunt, sequi sit necesse. Illa (inquam) constantissima omnium est doctrina; ut à BARBOSA inter locos communes non immeritò sit relata. Vide ejus *thesaurum locor. comm. voce: enunciatio*. Inspice (si tanti sit) quos turmatim ibidem in testes vocat.

36. Videamus proinde, quibus proponat, & quibus tandem verbis dirimat controversiam Imperator. „ Cùm dubitabatur (hisce proponit, hisce narrat dubii indolem) utrum „ emphyteuta debeat cum Domini voluntate „ suas meliorationes . . . . alienare, vel jus emphyteuticum transferre; an ejus expectare „ consensum. Ita (inquam) proponit. Quomodo dirimit? „ sancimus (inquit) si quidem emphyteuticum instrumentum super hoc „ casu aliquas pactiones habeat, easdem observari. Sin autem nullo modo hujusmodi pactio interposita est, vel fortè instrumentum emphyteuticum deperditum est; *minimè licere* „ *emphyteutæ sine consensu Domini meliorationes*  
*suas*

„ *suas aliis vendere, vel jus emphyteuticum trans-*  
 „ *ferre.* „ An hîc subsistat Imperator? „ Sed  
 „ (sic pergit) ne, hâc occasione acceptâ, Do-  
 „ mini minimè concedant, emphyteutas sua  
 „ accipere pretia meliorationum, quæ invene-  
 „ runt, sed eos deludant, & ex hoc commo-  
 „ dum emphyteutæ depereat; disponimus, at-  
 „ testationem Domino transmitti, & prædicere,  
 „ *quantum pretium ab alio reverà accipi potest;*  
 „ *& siquidem Dominus hoc dare maluerit, & tan-*  
 „ *tam præstare quantitatem, quantam ipse reve-*  
 „ *râ emphyteuta ab alio accipere potest,* ipsum  
 „ Dominum omninò hæc comparare. Sin au-  
 „ tem duorum mensium spatium fuerit emen-  
 „ sum, & Dominus hoc facere noluerit; li-  
 „ centia emphyteutæ detur, ubi voluerit, &  
 „ sinè consensu Domini *meliorationes suas ven-*  
 „ *dere.* „ Coecus hîc omnino sit, qui non vi-  
 „ deat, solam venditionem lege illâ alium in or-  
 „ dinem cogi; reliquis contractibus pristinæ liber-  
 „ tati relictis. Quodnam enim illud negotium,  
 „ in quo tantum liceat emphyteutæ expectare  
 „ à Domino, quantum ab alio poterat accipere?  
 „ horret inhumanam ejusmodi spem heredis in-  
 „ stitutio: horret legatum; horret donatio: hor-  
 „ ret

ret dotis datio : horret tandem , quidquid præter venditionem est contractus. Quid multis? ipsa, quam Imperator emphyteutæ largitur, licentia in eo est, ut possit *etiam sine consensu Domini* (hic si nolit tantum præstare, quantum offerebatur ab alio) *meliorationes suas vendere.*

37. Fateris (& quâ fronte negas) nullam in lege nostrâ mentionem fieri vel hereditatis, vel legati, vel donationis, aut cujuscunque (si venditionem demas) alienationis: didicisti ex concordi præceptorum tuorum ore, quòd leges corrigentes strictè interpretari, sit necesse: audiisti toties decantatum illud *legis 27. Cod. de testament.*, omnibusque acceptum axioma: *quod correctum non est, cur stare prohibeatur?* Nosti hæc omnia: nequè ignoras, quantum venditionem inter, & cæteros alienandi modos (vide dicta *n. 21*) sit discrimen. Quæ igitur Philosophia te docuit, prohibitâ illâ, hos etiam (quantumcunque sint diversi) esse prohibitos? Meliora discamus ex sapientissimo THEOD. & VALENT. præcepto, quod traditum nobis reliquerunt in *leg. 32. §. ult. Cod.*

*de appellat.* ubi ajunt: *quidquid hâc lege specialiter non videtur expressum, id veterum legum constitutionumque regulis omnes relictum intelligant.* Ita certè hîc; quod enim (vide n. 13.) à naturâ ita est comparatum, ut perpetuò duret; sublatum in dubio censi non debet: quia mutatum esse naturæ cursum, non quâcunque conjecturâ, sed manifestis argumentis, docere oportet.

38. Illud (inquis) in lege nostrâ manifestum correctionis est argumentum, quòd Imperator non tantùm disertè statuât, *minimè licere Emphyteutæ, sinè consensu Domini, meliorationes suas aliis vendere*; sed & eidem generatim prohibeat, *jus emphyteuticum transferre.* Sed non debebas leves has merces toties nobis obtrudere. Diximus (& ex ore quidem illorum, qui tuam sequuntur opinionem) solam venditionem, cùm *alienatio* non sit, ad amittendam emphyteusin non sufficere. Necesse igitur erat ab Imperatore addi: *vel jus emphyteuticum* (putà in obsequium venditionis) *transferre*; ut proderet, eam à se requiri venditionem, quæ vera sit *alienatio*. Atque hanc tantùm venditionem (cum *translatione*

*ne*

ne scilicet conjunctam) ad præviæ denunciatio-  
 nis, dandæque Domino prærogativæ legem vo-  
 luit adstrictam: non aliam quamcunque *aliena-*  
*tionem*. Adhuc - ne dubitas? Ipsum rursus audi  
 Imperatorem. Dicit, *necessitatem habere Domi-*  
*nos, si aliis melioratio secundum præfatum modum*  
*vendita sit, accipere emphyteutam: vel si* (utram-  
 que hîc aurem porrige) *jus emphyteuticum ad*  
*personas non prohibitas, sed concessas & idoneas ad sol-*  
*vendum emphyteuticum canonem, transponere em-*  
*phyteuta maluerit; non contradicere, sed novum*  
*emphyteutam in possessionem suscipere*. Ipse tu  
 verborum (si quo indigeant) sis interpret. Hæ-  
 resne? Præeamus igitur, ut omnem tibi exima-  
 mus scrupulum. In venditione, ( ut acce-  
 dente traditione sit efficax, sitque firma )  
 jubet Imperator modum, quem præscripserat  
 observari: nempe denuntionem fieri sat  
 tempestivè Domino. Si verò, citra vendi-  
 tionem, *jus emphyteuticum maluerit transporta-*  
*re emphyteuta; hoc solum disquiri vult, an ad*  
*personas idoneas facta sit transportatio: ideoque,*  
*præviæ non requirit denunciationem*. Relege  
 Imperatoris verba; &, quæ diximus, iisdem  
 respondere fateberis.

39. Satis ( sic nobis blandimur ) evicimus, solam juris emphyteutici venditionem ad denunciationis onus esse obstrictam; reliquos alienandi modos in veteri mansisse libertate. Ibi-  
 mus tamen ( abundantioris lucis gratiâ ) per singulos; atque hoc nunc disquiremus, an sal-  
 tèm non sit integrum Domino, emphyteusin alteri donatam, justo redimere pretio; ut eo contentus sit, cui facta donatio. Nec hoc eidem licere, ex dictis est consequens. Efficax enim, firmaquè si sit donatio, finè dubio ille, in quem profecta est liberalitas, rei donatæ *utilis* ( qui dicitur ) factus est Dominus; ideoquè novus est emphyteuta. Possit nè talis cogi, jus suum ut invitus vendat Domino ( quem vocamus ) *directo*? à nemine id traditum nobis hætenus: nec putemus, idem posthac ab ullo doctum iri.

40. Impeditur ( inquis ) donatio rei, & abit in donationem pretii, à Domino oblata, intra duorum mensium tempus solvendi. Sed cujusnam legis fide hæc loqueris? nostra ( lex scilicet *fin. Cod. de jur. emphyt.* ) te non juvat; nec alia in medium produci potest: nulla igitur tibi fa-  
 vet.

vet. Venditor (quod diximus) suo duntaxat studet commodo; ut, ubi à pluribus idem consequitur pretium, ejus non interfit, quis præferatur. Donator contra ex mero benevolentiae amore beatum vult amicum; ut, quo major est largitas, eò perfectius desiderio donantis respondeat implementum. Donatarius igitur si malit rem, quàm pretium; turpe est, Domini id largiri arbitrio, ut alterius possit infringere liberalitatem, aut eam diminuere. Præterea & hoc interest, quòd fugaces sint nummi; stabiles verò fundi: ut vel hanc ob causam justè malit donator, emphyteusin ad donatarium pervenire, quàm nummos.

41. Idem in donatione propter nuptias, in dotis constitutione, in hereditate, & in legato statuendum: eadem enim (maximè quoad dotem & contra-dotem) id jubent rationes.

42. De permutatione vix est, cur plura dicamus. Sive enim Domino permutandi asseras prærogativam; sive emendi eidem vendices potestatem; quàm longissimè aberras ab eo, quod desiderat emphyteuta. Non pretium

tium rei emphyteuticæ, sed rem aliam sibi commodam utilemque quærit; quam Dominus non habet: ideoque præstare non potest. Atque in hoc etiam ii, qui aliàs nobis adversantur, facillè consentiunt. Vide BRUNNEMANNUM in comment. ad memoratam jam toties legem *final. Cod. de jure emphyt. n. 10.* Si verò (quod vix eveniet) Domino suppeteret fundus, quoad mensuram, situm, ubertatem, cæteraque omnia æquè æstimabilis, non putemus, denegandam ei prærogativam; cum emphyteuta in purâ permutatione (ubi benevolentia amor, & quævis alia abest affectio) ultra talem agrum nil cupiat.

43. De oppignoratione, & servitutum impositione adhuc pauca. „ Nec sub alienationis  
 „ appellatione (ita scribit JOANNES VOETI-  
 „ US in *comment. ad pand. tit. si ager vectig. n. 24.*)  
 „ oppignoratio hîc comprehensa est: cum jure  
 „ veteri emphyteusis æquè, ac superficies, pig-  
 „ nori dari potuerit, sinè ullo denunciationis  
 „ talis requisito. *leg. 16. §. ult. ff. de pig. act.*  
 „ *leg. 31. ff. de pig. & hypoth. leg. 15. ff. qui*  
 „ *potior. in pig.* Nec ulla per JUSTINIANUM  
 in



„ in *dict. leg. ult. Cod. de emphyteufi* mutatio  
 „ circa pignus facta appareat : quippe, quæ de  
 „ illâ loquitur emphyteuseos translatione, quæ  
 „ pretio interveniente contingit. Neque eadem  
 „ pignoris, quæ venditionis ratio est : dum ex  
 „ pignoris constitutione fieri quidem potest, ut  
 „ alienatio deinceps subsequatur ; de præfenti  
 „ tamen nulla juris emphyteutici translatio sit ;  
 „ nec alius emphyteuta in locum prioris suc-  
 „ cedit. JULIUS CLARUS §. *emphyteufis &c.*  
 „ *quæst. 18. NEOSTADIUS cur. holland. decis. 59.*  
 „ RADELENTIUS *cur. ultraject. decis. 17. n. 17.*  
 „ idemque de servitutum prædialium imposi-  
 „ tione dicendum est : nam & superficiario li-  
 „ cet, sinè Domini consensu, servitutes impone-  
 „ re ; cui alioquin difficilium, quàm quidem em-  
 „ phyteutæ, alienatio permiffa est, *leg. 1. §. ult.*  
 „ *ff. de superf. lib. 2. feud. tit. 8. vers. rei autem.*  
 „ JULIUS CLARUS *dict. §. emphyteu. &c. quæst. 21.*  
 „ CARPZOVIVS *definit. forens. part. 2. Constit. 38.*  
 „ *definit. 14. ZOESIUS ad tit. ff. locat. n. 109. GRO-*  
 „ *TIUS manu duct. ad juris prud. hollandiæ. lib.*  
 „ *2. cap. 40. n. 14. & 15.*  
 „ 44. Reliquum est, ut doctrinam hæcenus pro-  
 „ pugnatam virorum doctiffimorum stabiliamus  
 „ aucto-

auctoritate. Fatetur LEYSERUS (redi ad n. 13.) quinquaginta quinque esse eorum, qui à nostrâ stant parte. His addimus HARPRECHTUM in *comment. ad Instit. tit. de locat. & cond. n. 337.* PEREZIUM in *eod. tit. de jur. emphyt. n. 9.* HAHNIUM ad *Wesenb. tit. si ager vecti. n. 16.* VINNIUM *lib. 2. select. quæst. cap. 2.* WISENBACHIUM ad *leg. ult. Cod. de jure emphyt.* BÖCKELMANNUM ad *ff. tit. si ager vectig n. 8.* VOETIUM in *comment. ad pand. eod. tit. n. 25.* Addimus ex sacri juris interpretibus PIRRHINGIUM in *novâ method. jur. Can. tit. de locat. cond. §. 3. n. 43. usque ad fin.* SCHMALZGRÜBERUM *eod. tit. §. 2. n. 145.* REIFFENS-TUEL *dict. tit. §. 6. n. 179.* Adi hos; numera, quos catervatim secum producant; & integrum (loqui si ita liceat) habebis exercitum.

46. Repetamus nunc, quo n. 7. in fin. utebatur, argumentum. Certum est, quòd olim permittà fuerit quæcunque juris emphyteutici alienatio; dubium, an (venditionem si demas) in eo sit aliquid correctum; quin plerique, jactatam à paucioribus, negant correctionem. Quis.

Quisquis igitur communissimam hanc sententiam sequitur, omnino non peccat: proinde poenam non meretur. Si hoc; ergo emphyteusos amissione non est plectendus.

## CAPUT TERTIUM.

### *Satisfit Contrariis.*

46. Nituntur adversarii nostri lege (quam toties audiisti) *final. Cod. de jur. emphyt.* Hac (inquam) nituntur. Sed quo fructu? Adeo enim vera legis hujus sententia (quam hactenus dicta satis produnt) ipsis non prodest; ut obesse magis, videatur.

47. Nituntur vulgatis hisce regulis: alteri per alterum iniqua conditio (damnum) inferri non debet: invito creditori alium obtrudere debitorem, est nefas; & quæ sunt illis similia. Veræ sunt regulæ: sed hîc loci omnino inutiles. Eisdem enim si quid sit ponderis; plus certè evincunt, quàm possit gratum esse adversariis. Sunt effata hæc é legibus vetustissimis (puta *leg. 45. §. 2. ff. mand. leg. 19. ff. de procurat. aliisque*) ex-

ideoque lege 3. *Cod. de jur. emphyt.* multò sunt antiquiora. Sentis-ne jam, nimium (quod diximus) tibi evinci? Consequens enim, quòd ne olim quidem (id est ante *dict. leg. 3. Cod. de jur. emphyt.*) licuerit alienare emphyteusin; quæ consecrata nec tibi, nec affeclis tuis, possunt esse grata. Quod itaque tunc respondere oportebat, idem jam respondemus: nempe eam esse agri vectigalis (emphyteutici) naturam, ut quocumque modo in alium transferri, sinè Domini etiam consensu (solam si excipias venditionem) possit. Dominus proinde dum alteri largitur emphyteusin, quod eidem naturale est, dedisse censetur; nisi quid speciatim excipiat. Et quid tandem damni, iniquæ-ve conditionis metuat Dominus? Novus emphyteuta oneribus ferendis par sit, necesse est: sin secus; rejici omnino potest. Si quid igitur sit periculi; id non *alienationi*, sed Domini, in admittendo novo emphyteutâ adeò facilis, est tribuendum culpæ.

48. Nituntur *leg. 2. Cod. ne rei domin. vel templor.* verba legis hæc sunt. „ Universas terras, quæ à colonis, sive emphyteuticariis Domini juris, reipublicæ, vel juris sacrorum templo-

„ templorum , in quâlibet Provinciâ venditæ , vel  
 „ ullo alio pacto alienatæ sunt , ab his , qui per-  
 „ peram atque contra leges eas detinent , nullâ  
 „ longi temporis præscriptione officiente , ju-  
 „ bemus restitui ; ita , ut nec pretium quidem ini-  
 „ quis comparatoribus reposcere liceat. „ Sed &  
 hoc fragile nimis est subsidium : dum legis ( quæ  
 putatur ) severitas venditionem cum reliquis *alie-*  
*nandi* modis eodem habet loco ; eâdemque ( quod  
 sanè & tu agrè fers ) plectit pœnâ. Adhæc si  
 tantus sit legis rigor ; est & tibi laborandum ,  
 ut eadem cum *leg. 1. Cod. de fund. Patrim.*  
 ( quam n. 26. retulimus integram ) concilies.  
 Obmota lex iis duntaxat negotiatoribus , qui rei-  
 publicæ & templorum jura fraudulenter suppri-  
 mere , sibi que turpiter captare studebant , fræ-  
 num injicit ; & ita coerces , ut *nec pretium qui-*  
*dem iniquis comparatoribus reposcere liceat.* Con-  
 tra igitur , ubi salvo jure reipublicæ , salvoque  
 templorum jure , facta est *alienatio* , eandem fu-  
 isse firmam , rectè colligimus. Porro & alio mor-  
 bo laborant argutiæ tuæ : dum à diverso ( quod  
 ineptissimum est ) ad diversum procedunt. Ne-  
 cesse enim si esset fateri , quod *in emphyteusi rei-*  
*publicæ & templorum* ( ob eximium horum favo-  
 rem )

rem) quævis semper fuerit prohibita alienatio; minimè foret consequens, idem in aliis fuisse statutum.

49 Nituntur tandem *leg. 163. ff. de reg. jur.* ubi dicit **ULPIANUS**: *cujus est donandi, eidem & vendendi, & concedendi, jus est.* Si igitur (sic colligunt adversarii) vendi emphyteusis non possit sinè consensu Domini; neque poterit donari non consentiente. Sed vel maximè argumentum hoc inter reliqua est debile. Eodem enim jure sic colliges: si igitur sinè judiciali confirmatione ultra quingentos aureos donare non licet; neque res, hoc pretium excedens, vendi poterit sinè eâdem confirmatione. Ineptias posterioris argumenti capis: quidnè & prioris. Dicta *lex 163. ff. de reg. juris* loquitur de donandi vendendique facultate; non loquitur de modo, formâque actûs. Facultas in utroque est eadem; diversa sunt solennia.

50. Sistimus hic calamum; sed ei soli sistimus, qui studiorum nostrorum Principium est, &

**FINIS.**

**COROL.**

---

## COROLLARIA.

1.

**P**er consuetudinem contrariam abrogatur lex,  
per desuetudinem non æquè.

2.

Quàm ineptum se exhibet judex, dum alleganti legem imponit onus probandi; tam iniquè procedit, dum ab allegante pro se consuetudinem legitimè introductam desiderat ejus probationem.

3.

Dum quæritur: sitne privilegium latè, an verò strictè interpretandum? communiter distinguitur inter privilegium tendens, & non tendens in præjudicium tertii: item inter privilegium favorabile & odiosum. Mibi hæc distinctiones videntur otiosæ: quia credo, privilegium quodcumque esse strictissimæ interpretationis.

4.

S.S. Canones rectè denegant judici potestatem rejiciendi privatâ authoritate rescriptum à superiori potestate sub-vel obreptitiè impetratum.

F 3

5.

5.

Clericus, quamvis possit reconveniri, nunquam tamen (de jure scripto) conveniri potest coram Judice laico.

6.

Quando Clericus vel Religiosus ad avertendum à se, suisque damnum, desert aliquem scelestum ad Judicem, cum protestatione, quòd hoc non agat ad vindictam publicam scelesto accersendam, hoc ipso salvat mansuetudinem Christi, quæ Clericum decet, adeoque non incurrit irregularitatem.

7.

Quòd obligatio quandoque nequeat contrahi ad tempus, Celeberr. OTTO in comment. ad instit. tit. de verb. obligat. putat inde constare, quòd obligatio non nisi certis desinat modis, inter quos non est tempus; neque ad hoc explicandum existimat opus esse, ut cum GUNDLINGIO P. V. observ. 4. ad stoicorum Philosophiam recurramus. Sed præplacet mihi GUNDLINGIUS, hoc Romanorum axioma, ex principiis Philosophiæ stoicæ derivans.

8.

Eundem sapit stoicismum, quòd servitus aliqua nequeat contrahi ad tempus.

9.



9.

*Quando ususfructus omnium bonorum est constitutus, non veniunt bona etiam futura; veniunt tamen, si hypotheca omnium bonorum sit constituta.*

10.

*Dotem non præsumi dicunt nostri; sed cur? quia in dubio bona uxoris præsumentur paraphernalia potius, quàm dotalia. Hæc ratio mihi non placet.*

11.

*Instituenti actionem negatoriam ne tum quidem incumbit probatio, quando in libello suo dixit, adversarium servitute vi, clam, vel precario usum fuisse.*

12.

*Malè docet SCHOEPFFERUS ad ff. tit. si servit vind. &c. n. 13. quòd ille, qui se fundat in privilegio habeat actionem negatoriam.*

13.

*Indultum moratorium legitime impetratum nequit retorqueri.*

14.

*Omnis litis contestatio est negativa.*

15.

15.

*Axioma illud: non valenti agere non currit præscriptio, illimitatè acceptum est falsum.*

16.

*Nunquam præscribitur cum malâ fide: præscribitur tamen quandoque cum scientiâ juris alieni.*

14.

*Ad testamentum literarum ignari non requiruntur eadem, quæ ad testamentum cæci.*

18.

*Fratrum germanorum liberi, à quasi pupillariter substituente præteriti, possunt impugnare testamentum.*

19.

*Revelata ex Confessione, sacerdoti factâ, nihil operantur in judicio: imò ne indicium faciunt ad inquirendum.*

20.

*Pœna laquei in fures statuta, concurrentibus omnibus requisitis, est justissima: quidquid obloquantur ANT. MATHÆI, aliique.*

A. M. D. G.

**T**andem Pieriis felici fidere lauris,  
 Exoritur matura dies, paritura rubentes  
 Soles, assiduæ post pallida lumina noctis.  
 Has meritò post bella capis commilito lauros,  
 Queis tua DAPHNIS amat pulchro sudore rigata.  
 Tempora magnificos inter redimisse triumphos.  
 Exacuit doctæ te non saturata cupido  
 Laudis, magnanimo passu superare sacrata  
 Culmina, quæ gnavis Astræa paravit alumnis.  
 Vix madido Phæbus thalamo surrexerat, alto  
 Te reperi legum studio vigilare sopitum,  
 Non semel usque dies fuerat tumultata tenebris.  
 Discute jam nubes, & metam tange laborum:  
 Ecce tibi doctis se pandit florida palmis  
 Scena! tuis spectans en laudibus aula superbit!  
 Hos tibi lauricomî fructûs peperere decores  
 Tot vigiles lunæ. Præclaro pulvere sparsum  
 Gloria tanta decet, tibi quam commilito grator:  
 Ævum laude novâ tibi posthac omne virescat.

*Ita Domino neo Licentiando  
 D. Commilitoni suo applaudit  
 C. M. Guerdan J: U L.*

**T**Exere TEXTOR amat, quod tu FRIDERICE probasti,

Affiduo legum pectine docta trahis.

Demonstras textum toti mirabile mundo,

Abdita cum juris stamine sola capis;

Ergo TEXTORIS lauro superaddite lauros!

Promeruit sanè tantus Apollo decus.

Post si per mundum, dignam conquerere Dianam

Divitias Cumula! Justus ubique tamen.

Permagni vendas aliis constructa, minoris

Vende mihi, semper fidus amicus ero.

*Ita Nobili ac doctissimo Domino Licentiando  
aggratulavi, seque commendare voluit*

J. H. Müller, J. C.

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

**TIFFEN® Color Control Patches**

© The Tiffen Company, 2007

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

